



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Maiorum sapientia deridebitur. tit. 269

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Augustinus: Si tibi videtur inconvēniens, quia cum malo eadem aduersitate plecteris, accipe stateram, & appende hīc amorem Dei, & hīc amorem mundi, & vide vtrum horum alterum preponderet, & reperies, quòd amor & sollicitudo huius mūdi, multum amorem Dei antecedit. Pondera hoc quòd Christus dicit Matth. 10. Si quis patrem aut matrem diligit plus quàm me, &c. non est me dignus, &c. Hic vide, an ne plus vxorem, filios, pecuniam diligas. Item diuitias & honores huius mundi, &c. Quis enim est, qui hīc voluntariè non præfert vxorē & filios suos Christo? Non prohibetur, ne diligas vxorem, Ephes. 5. & filios, sed eos non plus, supra vel æquè, sed sub Christo, diligere oportet. Abraham etiam dilexit filium suum Isaac, Genes. 22. sed plus Deum, ideo obrulit eum, &c. Sic hodiè omnis pater & mater, qui filiorum impedit voluptates, malos mores, blasphemias corrigit, & non permittit illis voluntatem, ille tale sacrificium, sicuti Abraham Deo, cum filio offert. Et quoniã non ex toto boni sumus, & regnat caro plus, quàm spiritus, ideo patimur cum malis: & sic patienter ferre debemus, sicut granum tritici, &c.

*MAIORVM SAPIENTIA
deridebitur.*

TITVLVS CCLXIX.

R

Rimò, B. Martyr Methodius Episcopus notat in vinculis sibi angelum reuelasse, quòd discipuli Antichristi omnem maiorem natu inhonorabunt, subinde deridebunt omnes, qui in sapientia fulgebant, & in rebus Reipub. magnificabatur, qui conticescent in silentio & in timore, non audētes arguere malos, aut dicere hoc vel illud, cur facis? Postremò, quòd non habebunt viscera misericordiae, neque super

Anno 1525.

super egenos, neq; infirmos, id est, qui illis non consentient, & tunc erit via angustiæ, & hoc tempus, de quo Daniel. 1. Ruent in gladio, sicuti in tumultu Ruficano: & in flamma, sicut comburuntur ciuitates, vici & castra, & rapina dierum. Apoca. 9. In diebus illis quærent homines mortem, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Hæc omnia iã fieri nostris temporibus, luce clarius est. Quis enim Principum, Regum catholicorum aut sapietum, doctorum, religiosorum vel sanctorum patrum in precio & honore est sectis? quis non illis displicet? omnes talpis cæciores esse dijudicantur. Ridetur eorum omnium sapientia, & cæt.

Secũdò, inquit Methodius: omnis miseratio quæ cessabit tempore schismatis Antichristi. Nam homo serò vadens dormitum, exurgens manè, reperiet ad limen ianux domus suæ, qui ab eo exigat primùm pondus auri, subindè argenti. Post hæc sequetur talis angariatio, quòd vendere cogetur homo omnia vtensilia domus suæ, id est, cantharos, pelues, ollas æneas, & cæt. Subindè ferramenta, opertoria & vestimenta, immò & natos suos, & c. & hæc erit via angustiæ, in qua eligent magis mortem, & desiderabunt vita carere & mori, Hierem 8. & tunc virgo curret ad desertum, id est, Ecclesia, quandò cessabunt sapientes, pij & prudentes, qui verbo & gladio conseruant Ecclesiam: tunc Ecclesia cessabit ad tempus & deserta erit, sicut iam videmus Ecclesiam esse in deserto, id est, carentia piorum pastorum, qui diligenter oues pascere deberent, Ioann. 10. & 21. Nam Christus Mat. 5. inquit discipulis: Vos estis lux mundi. At extincta luce, quid restat nisi tenebræ & desertio? Respice Ecclesias quas Antichristus iam clausit, an non sint deserte, vel in deserto cultu DEI: quiescit hïc sacrificium publicum Christi, silent pij & deuotissimi cantus, hymni & cæremoniæ Ecclesiæ, & c. & tamè nemo

P P P 4 percipit

percipit corde, sed faxit Deus vt citò transeat tempus & redeat Ecclesia ex deserto.

Tertiò, tales angustias permittet Deus, vt probentur fideles ab infidelibus, 1. Corinthior. vndecimo. Vult enim Deus paleam separare à tritico, Matth. 3. Nam nostram sapientiam potius iactamus ad mundi honorem, quam Dei laudem. Sic de potentia & sublimitate gloriamur secundum carnem. Quanta sit auaritia, vsura, dolus, in rebus temporalibus acquirendis, nemo non videt. Ideò Deus tales scopas & vitigas super nos permittit, vt ad pœnitentiam redeamus, sicut dicit Gregorius in homilijs: Mala que nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, & Dauid: Multiplicatæ sunt infirmitates eorū, postea accelerauerunt, Psal. 15. Hæc præcedent nouissimum diem, &c.

DE ASSCENSIONE ASINI & cameli.

TITVLVS CCLXX.

Efai. 21.

PRIMò, Propheta Esaias vidit in visione currum duorum animalium, vnum animal erat asinus, alterū, camelus, quod Angelus declarauit S. Methodio in carcere, scilicet, quod in nouissimo millennario, id est, nouissimis temporibus quando instabunt tempora periculosa iuxta Paulum, 1. Timoth. 4. vbi Ecclesia diuidetur per superbos homines, seipos amantes, superbos, inobedientes, proteruos, criminatores, voluptatum amatores potius quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, 2. Timoth. 3. Hi quando schisma Ecclesie facient, vidit Methodius duos viros secantes Ecclesiam, &c. Tunc imperator & rex Romanorum fiet vector seu auriga, & primò ascēdet asinum, id est, mandabit literis, comitijs, & conuocationibus, libenter volens consulere paci & vnitati Ecclesie: sed quoniam